


69
6

ANIMADVERSIONVM
EX IVRE VNIVERSO DEPROMTARVM

SPICILEGIVM PRIMVM



AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
P R A E S I D E
CAROLO HENRICO GEISLERO
ORDINARIO

A. D. XXX MAI AN. CIOIOCCCLXXXVII

DISCEPTANDI CAVSSA PROPONET
CAROLVS GOTLOB BROTE

BVDISSIONSIS

VITEBERGAE
EX OFFICINA DVERRIA.

ANIMADUSSIONUM
EX IARAE UNIVERSO DERMOTARIA
SPLICIVITATI ET PRACTICAE
VASTOSITATE
ILLUSTRIIS IARISCONSAFATORIIS ORDINIS
PRAE MAGISTRI
CAROLO HENRICO GEISTERO
ORDINARIO
AL MXXX MAI AN CCCCCLXXXVII
DISCIPULIVNDI CAVAS TROPHAEAT
CAROLUS GOTLOB RÖTER
MINTHERGER
EX QUITATIONE AURELIA

ANNUALADVERSIOS.

Quae a longinquo inde tempore vsuque diuturno rerum in foro caussisque iudicariis tractandis ad commodity tum mea, tum potissimum publica ex iure vniuerso animaduertisse mihi visus sum, diuque mecum, ut matuercenter, in pectore seruissque taciturnus recondidi, eorum igitur nunc primum spicilegium prodeat in conspectum hominum. Faxit Deus feliciter! Neque enim colubitum est oppugnare religiones probosque mores, aut conuellere iura et leges, aut inanes conjecturas in forum deducere, aut denique iuridicos legumne aemulos ineptis sententiis disturbare, sed eo potius redit consilium, ut si quomodocunque possim, in rem communem aliquid conferam, saltem adolescentibus in iure nostro demonstranda recta in hac arte mea philosophandi ratione nonnihil prosim. Quo ex consilio si hoc et quae suo tempore inter hos tam multiplices muneris mei praesertim hoc



tempore molestias consequentur spicilegia, aestimata fuerint, nihil erit, quod amplius petere possim. Mansuetudinem quidem, indulgentiam, misericordiam, et quae sunt reliqua iudicis humani officia, nemo facile in me desiderabit, qui nimium adeo interdum iis tribuere quibusdam videar, speroque adeo futurum, ut homini mitis ac benigni ingenii vicissim alii, qui de his rebus iudicare possunt, (alios enim non curo) idem tribuant. Ita valete, Lectores.

ANIMADVERSIO I.

*De Notione et praecipuo Criminum vel Delictorum
discrimine.*

I. Crimen Delictumue (vtrumque enim vocabulum seposito iuris Romani discrimine h. l. promiscue dicitur) quid tandem sit? copiose quaerere, multis vtique mirum videbitur. At videte, ego contraria vice semel iterumque miratus et submiratus sum, quomodo fieri posset, ut in hac caussa a summis nonnumquam hominibus talia illa portenta et ostenta opinionum excluderentur, qualia quotidie circumferri videntur. Nuper maxime inter legendum et otiandum a laboribus muneris, quod mihi perquam raro, aut, ut ingenue scribam, numquam fere contingere solet, incidi fortuito in librum aliquem praelati alias scriptoris cuiusdam, quem nominare non est opus, vtcumque eum plurimis aliis de caussis summo opere colo, obstupuique vehementer, ne quid pro integritate animi

animi mei dissimulem, ad monstrum illud et inuentum
 criminum et delictorum, quod imis quasi viribus tueri ac
 defendere cuperet. Aiebat enim, ad crimina et delicta
 pertinere omnia, quorum vltionem Deus iam ante obi-
 tum discessumque ex hac vita ab hominibus desideraret,
 et post mortem, nisi, quod praeclarus auctor addiderat,
 alioquin resipuerint, grauiter vindicaturus esset. At quae,
 et qualis imago Dei, patris illius, custodis, legislatoris,
 iudicis denique nostri? Venit mihi per hanc occasionem
 in mentem exemplum sacerdotis cuiusdam Hassiaci prope
 Marburgum, (nominabo enim locum, ne forte mentiri,
 aut rem fictam, quae pluribus ibi degentibus sat nota est,
 narrare videar) qui cum rusticos suos, quod eum inter
 decimandum pro more defraudauerant, obiurgaturus
 esset, praeter alia omnia meo adhuc tempore eosque se
 deprimiceret, ut his verbis ex suggestu ad eos vteretur:
*hütet euch dergleichen euerm Pfarrherrn zu thun; dann
 wißt, es ist Gottes Lohn und Befehl, und Gott ist gut und
 sanft, wie ein Lamm, wenn er will und kann; aber, aber,
 wenn er auch böse wird, so ist er auch böse und grämlich,
 wie ein Bär.* Vereor profecto, ne probi illi viri idem in
 vitium incurvant, quod in iudicibus humanis vel ciuilibus
 haut toleratur, immiscentibus iis se se priuatimque inge-
 rentibus caussae ac iuri Principum, a quorum arbitrio
 pendet, vtrum vindicta vti velint, necne. Evidem fi
 quid video, orta est haec opinio, quae pro auctoritate
 hominum ita putantium quam plurimorum animos mente-

A 2 que

que occupauit, et ut pii, probi ac religiosi iudicentur, strenue a multis propugnatur, ex iure Mosaico, quod ut tandem aliquando, tamquam quod rei nostrae non conuenit, sed soli genti Iudaicae conditum est, in primis post praecellares illas MICHAELIS commentationes iuri consulti nostri deferant, ac plane seponant, humanitatis et salutis publicae causa vehementer optandum est. Ut ut breuis esse cupio, temperare tamen mihi nec possum, quin in margine adscribam locum commentatoris cuiusdam Francogallici (VOLTARTVM, sed incerta et ambigua profusam fide, auctorem esse perhibebant) libri BECCARIANI de delictis et poenis,*) quem ut iurisconsulti ac theologi nostri studiose perpendant, ex animo precor.

II. Itaque cum repudiatis illis accurate constitueda sit notio delictorum vel criminiū, videamus, quomodo ea potissimum efficienda sit. Atque hoc quidem loco, vt, quod mihi hac in causa verum videtur, liberaliter fatear omnemque pectoris mei sensum aperiam, necessario, vt-
cumque etiam ab aliis superstitionis aut nimis fere religio-
nis hominibus haut leuem reprehensionem praemii loco
retu-

*) *Commentaire sur le livre des délits et des peines par un Avocat de Province* (L. l. 1766. 8.) p. 30. votre illustre Montesquieu a dit : il faut honorer la Divinité et non la venger ; pensons ses paroles ; elles ne signifient pas, qu'on doive abandonner le maintien de l'ordre public ; elles signifient, comme le dit le judicieux Auteur des *Délits et des Peines*, qu'il est absurde, qu'un insecte croye venger l'Être suprême : ni un juge de village, ni un juge de ville ne sont des Moïses et des Josphets.

5

retulerim, impietatisque adeo, a qua longissime absunt,
haut dubie aduersari coepерим, fatendum mihi videtur, in
delictum aut crimen iure humano nihil *proprius* cadere, nisi
quod securitatem aut Principis, aut vniuersae reipubli-
cae, aut singulorum denique ciuium violet. Quo ipso
instimul, ut hoc obiter moneam, leges criminales a ciui-
libus facile discerni queat. Neque enim ferenda est op-
nio R U S S A V I I , *) criminales contendentis non consti-
tuere peculiare legum genus, quae reliquarum quippe
tantum sint sanctiones, sed materia formaque a reliquis
utique discrepant. Ut enim sit, video ad ea, quae di-
xi, sacerdotes, iurisconsultos, scholarum magistros, con-
currentibus largeque admodum in sinum despicientibus
aniculis et agapetis, longo agmine contra me egredientes.
Ergone, occlamant, blasphemia non est delictum? sod-
omiae et fornicationi est indulgendum? onaniae nulla
est poena? autochiria haut est vituperabilis? et quas prae-
terea voces hominum oblatrantium exaudio. At salua res
est, et intrepidum pectus. Verba pro me faciat M O N-
T E S Q U E R I V S ille, qui quidem per eiusmodi aliquam
occasione loco quodam perennis de caussis legum ope-
ris**) grauiter exclamat: à Dieu ne plaise, que je veuille
diminuer l'horreur, que l'on a pour des crimes, que la Reli-

A 3

gion,

*) Dans les *Principes du Droit Pouisson*, que la sanction de tou-
tistique p. 119. les Loix criminelles sont tes les autres.
dans le fond moins une espece particu- **) De l'Esprit des loix XII, 6.



gion, la Morale et la Politique condamnent tour à tour!
 Ita scilicet, quod in illa oblatratiōne boni illi viri neglexisse
 videntur, res tenenda est, praeter illa, quae crima
proprie dixi, ac per ipsam naturam suam securitati com-
 muni, cuius cauſa in ciuitatem coaluimus, aduersari li-
 quēt, ſaepenunero fieri atque inde ab origine rerumpu-
 blicarum necessario fere factū eſſe, vt, quo religioni-
 bus, ac bonis probisque morib⁹, commerciis item, ſine
 quibus omnibus reipublicae robur quoddam contingere
 numquam potest, honor conſtet ſuus, neque ante diem
 res communis dilabatur,*) legibus condendis Principes
 iis, quorum imperfecta tantum obligatione ciues teneren-
 tur, plenam vim tribuerint et ſanctionibus adeo poenali-
 bus muniuerint. Quod ſi factū, ea vtique omnia, quae
 aduersus eiusmodi constitutiones fuſcipiuntur, in crimen
 delictumue incident. Sed opus eſt tamen ea in re expreſ-
 ſa lege, ſine qua eiusmodi crimen delictumue, ſi vel ma-
 xime turpitudinem, dedecus aut iniquitatem in ſe habet,
 iure humano ne cogitari quidem potest, cum e contrario
 illa, quae *proprie* crima dixi, per ſolam naturam suam
 absque villa hominum legislatione ex ſola ciuitatum indole
 ac notione praeceptisque iuris naturalis ad ſtatū ciuilem
 collati in maleſiciis conſtituantur.

III. Aſt,

*) Egregie hac de re commentatur Franco Gallus idem, quem paullo ante
 laudaui, p. 66 ſq.

III. Ast, inquit, redis ergo ad communem sententiam, quae plerumque fertur. Cui igitur bono illa omnia, curue tandem illud delictorum criminumque discrimen tam diligenter constituendum est? Haut exigua quidem est ac leuis dubitatio, sed quam penitus amouere poterimus. Habet enim illa delictorum criminumque discretio permagnum utique in foro usum ac necessario fere desideratur, ni velis, semota aequitate omni spretaque coniunctionis humanae indeole, in vitam, opes, famam et quae reliqua sunt ciuium, velut grassari, nec tam a natura, ut fieri debet, quam ab arbitrio potius ac libidine ius criminum et delictorum constituere. *Primum* enim ex duplici illo criminum et delictorum discrimine plane demum intelligitur, inter quos fines ac limites illud legislationis genus sit compellendum et quasi cohibendum. Nempe ex illa regula et praeceptione ad ea pertinent quidem omnia, quae per se securitati communi, caussisque ac fini societatis ciuilis aduersantur, sed intelligitur etiam in delictis et criminibus ne legibus quidem poni posse, nisi quae ad coniunctionem illam ciuilem vel vniuerse vel singulatim redeant, ac detimenti periculue quidquam ei adserant. Egregie prorsus hanc in rem **GROTIUS**,*) punienda non sunt, inquit, quae nec directe nec indirecte spectant ad societatem humanae aut ad hominem alterum. Ratio est, quia nulla est causa, cur non talia peccata relinquuntur Deo punienda, qui

et

*) De Iur. B. et P. II, 20.




et ad ea nescenda est sapientissimus, et ad expendenda aequif-
finus, et ad vindicanda potentissimus. Quare ab hominibus
punitio talis institueretur plane sine utilitate ac proinde men-
dose. Itaque ut in re, quae mihi quidem videtur plena,
mea ex caussa exemplis quibusdam vtar, ad crimen deli-
ctum trahi non potest supersticio, incredulitas (*anisciæ*)
auaritia et quae alia sunt eiusmodi hominum vitia, quae
saepenumero adhuc in hac nostra philosophiae luce mul-
tis severe admodum et acerbe viciencia videntur, nisi
cum damno, detimento periculoque securitatis salutisque
republicae rebus externis factisque produntur. Utique
enim puniendum iure esse censeo, qui, licet sacris Euan-
gelicis addictus sit, nec quidquam religionibus Catholico-
rum tribuat, Mariae v. c. ceterisue Diuis, quos Catholici
colunt, maledicere ausit, aut imagines eorum et simula-
cra in compitis inuadat, aut sacrâ aduersariorum turbet,
fcommatibusque et cantilenis, quas nunc potissimum amant,
perstringere, aut quod semel iterumque fieri memini,
ritus eorum et caerimónias per petulantiam iocosque il-
liberales traducere cupiat. Similiterque etiam optimo iu-
re puniri arbitror dardanarios, qui, summa licet frugum
omnium egestate, eiulantibus et opplorantibus ciuibus
horrea immensis referata messibus haut aperiant, sed im-
memores plene officii sui, iucurrique salutis communis so-
la cupiditate lucelli eintores temere repellant, si qua for-
te deinceps maiore praeda ex ciuibus potiri queant. Nam
et si

= = = = =

et si propriæ, vt KRESSII*) verbis utar, *in solas amoris leges peccant*, adficit tamen hoc vitii rem publicam ipsam, rectissimeque adeo mandatis apud VLPIANVM**) cautum legitur: *praeterea debebis custodire, ne dardanarii vilius mercis sint: ne aut ab his, qui coemtas merces suppri- munt, aut a locupletioribus, qui fructus suos aequis pretiis vendere nollent, dum minus uberes prouentus exspectant, ne annona oneretur, ne quid dicam de iis, quae praeter alios* AVGVSTVS***) in primis noster An. C I C I D I LXXXIII
 hac de re sapientissime constituit. Sed vt in viam reuer-
 tar, a qua pessimum illud hominum genus, quod rei no-
 strae saepenumero calamitatem attulit, atque etiamnum
 multis modis adferre solet, paullulum me deduxit, e con-
 trario etiam criminosis non erit, qui vtendo iure suo pri-
 uatis Principum commodis facto forte consilioue obsuerit,
 Nam, quae lex aeterna est, boni ac iusti est Principis,
 leges non constituere ex commodis suis, sed ex vtilitate
 communi ciuium et totius reipublicae, seduloque abstinen-
 dum a nefando illo praecepto, quo infausta illa et impu-
 dentissima gnathonum et parasitorum cohors Principes
 imbuere et contra misericordiam et benignitatem, libera-
 litatem etiam, velut armare cupit, Principem non populo,
 sed populum Principi datum diuinitus esse, Quod aureo-
 lum praeceptum quemadmodum in patria nostra per in-
 effata

*) in Probl. an Iosephus fuerit dar- **) l. 6. pr. D. de extraord. crim.
 danarius §. 4 sq. ***) C. A. To. I. p. 236.



effabilem Dei benignitatem in hoc in primis **F R I D E R I C I**
A V G U S T I nostri principatu illisque eius Comitibus, quos
vna omnes vere colimus, plane est inauditum, ita ut vni-
dequaque exterminetur atque ad Scythas, Iazygesque
Caucasoisque montes procul ex Germania in deserta at-
que ab omni cultura hominum relicta loca reletetur, pro-
bus quisque et honestus ciuis mecum Deum serio precabi-
tur. Praeclare quidem, ut egregia illa verba hoc loco ad-
ponam, neque quidquam contra de deperdito illo rerum
Gallicarum statu adiiciam, hac de re scribit **P L A T O**:*)
σύτω διανούμεθεν περὶ νόμων δεῖν γραφῆς γέγονθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν πο-
τέος τε καὶ μητρέος σχήμασι Φιλούντων τε καὶ νοῦν ἔχόντων φάνες θαλ-
γεγαμμένους ἢ κατὰ τύχαιναν καὶ δεσπότην π. τ. λ. h. e. ex **F I C I-**
N I interpretatione: *sic leges ciuitatibus conscribantur, ut
patris matrisque personam lator legum penitus gerat, scri-
ptaque caritatis prudentiaeque virtutem habeant potius,
quam domini tyrannique.*

IV. Sed deinde aliud adhuc, idque insigne prorsus
commodi genus ab illa distributione scelerum ac maleficio-
rum ad rem criminalem nostram redundat. Prodest
enim maximopere ad constituendas recteque aestimandas
eorundem classes, de quibus quantopere omni tempore
inter iurisconsultos et philosophos, (ne quid de theologis
iniiciam) concertatum fuerit atque etiamnum saepè con-
certetur, nemo facile ignorabit. Hoc quidem constat,
deli-

*) De Legg. lib. IX. p. 14. To. 9. Ed. Bipont.

delicta, cuiuscumque sint generis, contineri violatione ac turbatione securitatis communis, sed intelligitur etiam pro diuersa violationis illius magnitudine delicta necessario et absolute gradu inter se differre, atque alia quidem esse *atrocias*, alia *grauias*, alia denique *leuioras*, adeo ut tres potissimum delictorum classes constituendae videantur. Nam si quaesiveris ex te, ad quam quodque classem referendum sit, non repudianda quidem est omnis sententia eorum, qui cum auctore prioco Ordinis prouincialis iudicarii, (*Richtstig - Landrecht*) ex quo multa praesertim hac in caussa pro ratione illius aetatis in veteres nostras constitutiones criminales defluxerunt, pro qualitate et magnitudine poenarum aestimandas illas esse putent. Scribebat enim haut sine consensu **SPECVLA
TORIS SAXONICI**^{*)} et **COMPILATORIS IVRIS
ALEMANNICI**^{**) (lubens enim in hac breuitate mea praeterero auctoritates R. R. I. praesertim cum in nostram aetatem aegre cadere videantur) ea de re hunc in modum:}

*Hier js to weten dat dat recht geuet vüffterleye
 pün. Ten yrsten nemet den beclagede man sün lüff; Ten
 anderen mael nemet sün gesunde (aut quemadmodum aliis
 Cod. per modum interpretamenti habet, *gesontheit*) Ten
 terden mael nemet sün recht Ten vierden mael nemet sün eer
 Teen vüfftten mael nemet oen den gemeynen vrede, ac secun-*

B 2^{*)} Lib. II. art. 13.^{***} c. XXVIII. p. 164. ap. SEN-<sup>**) c. CXVI. tot. apud SENKEN- KENBERG. in Corp. iur. Germ. To. I.
E R G.</sup>



dum haec non quidem in puniendo quasi per gradus ascendendum, sed delicta tamen dispescenda esse existimabat. Iam oppido et necessario largior, multo grauiora esse delicta, quae capite huantur, quam quae carcere vel ergastulo expientur, neque hoc velim a iudicibus, quemadmodum saepenumero magna cum clade ciuium fieri video, prorsus negligi, quoniam ea ab re tum modum rationemque inquisitionis, tum vero etiam iurisdictionem ipsam haut raro pendere intelligent. Sed recte tamen **BOEHMERVS^{*)}** contra **CARPZO VIM** Scabinosque veteres Lipsienses admonuisse mihi videtur, illam regulam dirimendae et constituendae caussae nequaquam sufficere, sed in illa potius de criminibus, in primis *mediae sortis*, maximas difficultates semper remanere. Neque enim umquam deficiente lege aut consuetudine certa apte ac pro officio expedire te poteris ab iis, quae quamquam rei communi obesse videntur, constitutis tamen poenis non vindicantur, sed haerebis adeo quam saepissime in iis, quorum poenae sunt praefitutae. Ast ubi a diuersa illa criminum et delictorum notione rationes iudicandi suspensas habeas atque ex ea naturam cuiusque maleficii rite aestimaueris perpenderisque, res erit, si quid video, quam facillima. Statim enim intelligitur ad atrocias referri posse nihil eorum omnium, quae altera illa, quam supra constitui, delictorum notione continentur, h. e. ea,

quae

^{*)} in Obff. ad P. III. Qu. 109. p. 19.

quae sola voluntate legislatoris humani, aut futurae calamitati prospicientis lege, aut salutis publicae et communis causa libertatem naturalem ciuium coarctantis, constat, sed pro magnitudine iniuriae legi illatae aut gravitate damni dati ad alteram tertiamque classem quodque referendum esse. Facile quippe adparet, illis flagitiis non tam oppugnari rem publicam ipsam, quam potius interuerti tantum ac praepediri remedia, quibus res communis vtcumque contineri potest, quod si dolo malo et maligno consilio factum, vtique puniendum est, neque eam tamen, praesertim si euentum non habuerit, poenam meretur, quae atrocibus, h. e. iis, quae per ipsam natum suam fini et causae societatis humanae aduersantur, atque a maioribus nostris quadrisariam*) potissimum distributa fuerunt, legibus praescripta est. Haec enim semper in prima classe delictorum reponenda sunt, modo, quod CICERO**) ait, alioque quodam loco, quem a tironibus in primis, iisque omnibus, qui ad rem publicam gerendam sese adiplicant, diligenter admodum inspici velim, PLATO noster ***) copiosius disputauit, consulto et cogitato factae sint iniuriae, directoque ac violenter reipublicae inflictae fuerint, adeo, vt, quidquid etiam aliis ea de re fecus videatur, in his causis ad poenam capitis ipsius, si quidem omnia in plano sunt, recte vtique de-

B 3

scendi

*) v. PVENTOREIVS de iurisd. **) De Off. I, 7 sqq.
Germ. p. 159 sq. 182 sq. et 266 sq. ***). De LL. I. IX, p. 25. Ed. land.



scendi possit. Hostes enim sunt reipublicae facinorosi illi homines, a quibus cur magistratus iure suo et pro officio supplicia sumere nequeant, hautquaquam intelligitur, cum, quae iure belli inter gentes liceant, eadem per modum iudicarium in ciuitatibus de maleficiis statuantur. Absit quidem per benignitatem Dei O P T. M A X. a nobis tandem physiocratica illa et physiognomica doctrina, qua quisque, quas artes fraudesque optime callet et excoluit, ad eas velut diuinitus se vocatum existimat, et pro arbitrio sepositis spretisque legibus omnibus gerere se posse putat, aut membris bene compositis, belleque ac delicate conformato ore aliis sese in summa rerum omnium inficitia et ignorantia litterarum rerumque omnium iocando, blandiendo, adulando, adsentando et adfectando insinuare didicit. Cinaedorum maxime, nepotulorum, histriorum ea res est. Ast ergo, quod mature polluendis nuptiis vitiandisque virginibus adsueuerunt, mirificeque in arte sua pugnarunt, id iis est ignoscendum? Ergone tibi, si tete exercueris, callide furari sacculariumque aut directarium agere licet, quoniam animum ad furandum vel decipiendum induxisti? Ergone impetrato ciuitatis iure interuertere licet machinis occultis opicia aliorum, qui opere faciendo vix ac ne vix quidem panem lucrantur, nec censui ferendo aut tributis congerendis sine clamore liberorum esurientium sunt idonei? Ergone tandem, ne quid amplius dicam, incendiariis, qui semel iterumque pro physiocratica illa ratione, quam imbiberant, flamas aedibus

bus subieicere, ignoueris? Latronibus viarumque publicarum violentis obfessoribus condones? et quae alia sunt eius generis sceleras, de quibus lubens fileo. Auertenda est enim mihi ab hoc tam foedo et per calamitatem fortis meae diurno fere spectaculo facies, sed fatendum tamen palam et ingenue, purgandam esse, quemadmodum vetus quidam iurisconsultus ait, rempublicam ab eiusmodi nebulonibus. Restibus opus est ac laqueis, e quibus suspendantur. Carceres quidem, quod ytinam tandem animaduerterint Principes nostri, et ergastula, in primis in hac tam circumscripta ditionum nostrarum regione, ad emendandos eius generis homines nihil faciunt, imo vero videbis semper peiores homines ad consortium reliquorum ciuium ab iis redire, quippe qui, quod ante ignorauerant, ex commercio demum aliorum nebulonum adcurate didicerunt, et quae didicere, gnauiter exsequi vel coacti et iniuti per egestatem cupiunt ac solent. Turpiter in primis hoc loco sese dare videntur, qui ad physiognomice eiusmodi in rebus se recipiunt, et quae ex natura rerum sunt constituenda, ex figura et conformatione oris, frontis, temporum, superciliorum, nasi denique et occipitii definire sustinent, quasi illae vnicae sint et certissimae maleficiorum intelligendorum et arguendorum notae. Nisi enim egregie fallor, accidit eiusmodi nugatoribus plerisque, quod LAVATERO euenisce noui, statori illi ac patri velut physiognomices, quem quidem, cum a quibusdam per iocum ac ludibrium de nequissimo aliquo nebu-



nebulone, negante illo facinora ominia ac pernegante, interrogatus aliquando esset, qualem quippe hominem ex imagine adiecta iudicaret, properanter admodum respondere memini, integerimum ac probissimum esse hominem, a quo nihil vnamquam maleficii metui aut intelligi posset. Atqui breuissime post bonus ille ac laudatus et comprobatus homo, confessus vltro tandem ac sine tormentis ullis, conuictusque innumeris testibus certissimisque signis criminum truculentissimorum, caussa semel iterumque cognita relectaque, rota contusus in gemoniis peribat. Notent hoc, velim, sibi tirones, cogitentque cum FRANKIO,*) collega nuper meo coniunctissimo, nunc academiae Ticinensis in Italia ornamento eximio, secum serio, quae obstetricibus in nascendo ut plurimum debeantur, ea ad noscendos aestimandosque hominum animos conferenda non esse.

V. Durior quidem multis et asperior paullo in his, quae dixi, videbor, quam indolem pectoris mei secum ferre initio significaueram. Sed videar vtcumque. Ita fert ingenium meum omnisque animi mei informatio, vt diurno rerum ysu edocitus in eiusmodi caussis, si quidem, quod praecipuo loco ponendum est, liquent omnia, rigori ac seueritati legum insistendum esse arbitrer, modo ne aut iusta gratiae Principalis impertienda caussa subsit, aut alia idonea ratio mitigandi poenam iudicibus insinuetur.

Atque

*) In System. Med. polit. To. I. p. 248 sqq.

Atque ad illas quidem et recte intelligendas et vero etiam
rite dignoscendas in primis *tandem* proderit, quod sub
exitu caussae moneo, maximopere duplex illa distributio
facinorum, quam supra institui. Nam cum vtrumque ge-
nus ad tuendam stabiendi amque securitatem publicam
redeat, facile adparet, poenis quidem in vtraque caussa
opus esse, sed intelligitur etiam, qui in naturam ipsam,
constitutionem, finem caussasque ciuitatis directo doloque
malo aut artibus fraudibusque adeo adhibitis impegerint,
iis multo grauiores poenas luendas esse, quam qui consilia
tantum legislatorum interuerterunt, aut deliquerent quidem
in rem publicam, at per solam tamen praecipitantiam, im-
becillitatem, et quae sunt alia naturae humanae deliquia.
Si quid enim vñquam, prudentissime scripsit **VLPIAS**
NVS,^{*)} poenam debere Proconsulem, pro qualitate perso-
nae, pro que rei conditione, et temporis, et aetatis, et se-
xus, vel seuerius vel clementius statuere. Habes quidem
in haec verba compressa quasi et collata principia omnia,
ex quibus secundum diuersam illam maleficiorum naturam
aut veniae dandae aut mitigandae poenae rationes sumas,
proderitque tibi in primis in iudicandis iis, quae contra
virtutem, probos moros, aut religiones adeo ipsas com-
mittuntur. Secundum haec quidem Scabini Vitebergen-
ses ante aliquot annos rogante Praef. Eccardib. magistrum
quemdam scholae paganae, quem antistes dioeceseos

blaphe-

*) L. 6. pr. D. ad L. Iul. pecul.



blasphemiae adeusauerat, atque alii quidem iurisconsulti per triennium in ergastulum detrudere cupiebant, annuo opere poenam sceleris expiatum esse censuerunt, redditis his rationibus: Ob wohl die abgehörten Zeugen eidlich ausgesaget, was massen Meifner, er habe den Herrn Christum im Himmel angeruffen, der wolle ihm nicht helfen, und hätte auch den Teufel in der Hölle angeruffen, der wolle ihm auch nicht helfen, gegen sie gesprochen, hierwieder auch besonders bey Kathens unterstützender Aussage Meifners Verneinung, zumal er gegen die bemeldten Zeugen mit Bestand Rechtes etwas einzuwenden nicht vermocht, in keine Betrachtung kommen kann, solchergestalt aber, da derselbe Gottes Hülfe und Beystand bezweifelt,^{*)} die angeführte Rede für eine wahre Gotteslästerung anzusehen, und diesemach anders, dann geschehen, zu erkennen gewesen seyn möchte; Dennoch aber und dieweil die angezogenen Worte nicht eigentlich auf eine Bezwiegung oder Schmälerung der göttlichen Eigenchaften hinauslaufen, vielmehr aus Gotzens Aussage deutlich sich ergiebt, daß Meifner dieselben bloß bey Gelegenheit, als er von Zeugen über den Zustand seiner Untersuchungsfache befragt worden, in der Hitze und Verdrüß über die bisherige Zögerung geführet, und solche in der Verbindung dergestalt gefallen, daß er aus einer Art von Verzweiflung sich dahin geäußert, er habe jetztzo einen Satz gemacht, wobey es gehen müsse,

nach-

^{*)} C. C. C. art. 106.

nachdem er vergeblich um Hilfe gebeten, mithin
selbige nicht sowohl für eine Lästerung als vielmehr für un-
besonnene und unter gemeinen Leuten besonders gewöhnli-
che irreligieuse Reden anzusehen,^{*)} worüber derselbe de-
sto eher einige Nachsicht verdienet, als dergleichen sonst
sogar gegen wirkliche Geistliche mit der bloßen Dienstentfe-
tzung geahndet zu werden pflegen,^{**)} jetzo auch noch be-
sonders beytritt, daß ausweislich der Acten von der einen
Seite der Commission nicht aller Schein der Animosität wider
ihn vermieden worden, gleichwohl er, zumal als ein bishe-
riger Schuldienner, wohl wissen sollen, daß dergleichen Re-
den unerlaubt und höchst ärgerlich vorzüglich für die Ju-
gend sind, somit derselbe bey seinem ohnehin anstößigen Be-
tragen darüber allerdings eine Züchtigung verdienet, als
ist diesem allem nach, wie in dem Urthel enthalten, von
Uns billig erkannt. Similiterque memini ex iisdem cau-
sis rogatu academiae Lipsiae studiosum quemdam, qui
aniculam suspensa grandis lucri spe et opinione omni fere
aere turpiter emunxerat, correcta quadriennii poena in
biennium tantum ad ergastulum iurisconsultos nostros con-
demnare, nempe quod scire fraudes anicula et intelligere
facile poterat, neque damnum adeo, quod sua culpa par-
sa fuerat, sentire videbatur, ne quid dicam forte de alius
eius generis exemplis, quorum magna apud me est co-
hiatura. **C 2**

^{*)} BOEHMERYS ad CARPZ. qu. ^{**)} BERGER in Elect. iuris crim.
XLV. obs. 3. 5. P. I. p. 474.



pia. Sed aduersa quoque vice euenire facile potest, euenitque quam saepissime, vt, quem honestum, integrum, probum, piumque adeo ciuem alii iactitant, idem ille pro atrocitate et grauitate criminum et delictorum perpetratorum ad nebulones cognita cauſſa fit relegandus, dignaque, pro atrocitate criminum periculoque securitati publicae illato, poenas ex merito luat. Cuius generis exempla lubens et pro affectu animi mei prorsus praetereo.

ANIMADVERSIO II.

Clerici et qui eorum iura habent, foro suo privilegiato in causis personalibus ne inter Evangelicos quidem iniusto Confistorio renunciare possunt.

Facile prospicio fore quam plurimos, qui huic precepto suis de cauſſis obstrepant, impugnentque illud adeo auctoritate ipsius BERGERI nostri*) aliorumque doctorum hominum. Ast insideo, quasi nido opinionis meae, praceptioni INNOCENTII III. P. R.**) quacum alia GREGORII IX. ***) coniungenda est, manifeste, inquietis, patere, quod non solum iniuti sed etiam voluntarii clerici pacisci non possunt, vt secularia iudicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indulatum, cui priuatorum paclio derogare non potest. Licet enim id omne

*) In Oecon. iur. IV, 4, 3, 4. p. 697.
Ed. rec.

**) c. 12. X. de for. comp.
***) c. 18. X. eodi.

omne a superstitione clerici ordinis cultu ac nimia eius dignatione profectum, sapientissimisque IUSTINIANI A. constitutionibus*) aduersum esse dictent, iam WERNHERVS **) tamen rectissime hoc loco reposuit, quod vulgo constat, in caffis clericorum eorumque foro constitutendo decreta iuris canonici praeualere scitis legum circuitum, dummodo ne religionibus aut fanae rationi aduersentur, neque ea noui vniuerse vniuersam ab Euangelicis repudiata esse, imo vero inter ipsam instaurationem et correctionem sacrorum in Hassia, cuius nunc alia omnia fert constitutio, secundum haec PHILIPPVM Magnanimum grauiter ciuiles iudices edicto ***) admone-re memini, ne quid sibi exceptis solis atrocissimis crimini- bus, de quibus ecclesia, tamquam quae sanguinem non fitiret, decernere non posset, imperii aut iurisdictionis in clericos fumerent, eademque erat caufa, quare praeter alia omnia in nota illa *formula de gubernatione ecclesiae* ****) LVTHERV S cum suis consistoria aperienda esse statueret. Dicatis fortasse, renunciare quemuis posse praecriptioni fori, innitimique potissimum auctorati CVIACII illius nostri, qui insultam adeo ineptamque opinionem contrariam putaret,*****) atque a superstitione et astutia,

C 3

cle-

*) L. 29. C. de past. et l. 51. C. de Episc:

****) Apud SECKENDORF. in his-
tor. Lutherism. III, 119. p. 534. Ed.
rec.

**) P. VI. obs. 340.

*****) In Tract. VII. ad AFRICAN.
p. 356. Ed. Col. An. 1574. 8.

***) In der Samml. der Hessen Caf-
sel. Landes Ordin. Te. I. p. 102.



clericorum repetendam statueret. Ast enim uero *pri-*
mo omnium falsissimum est, iuri demum canonico ac su-
perstitioni omne id deberi, imo vero legibus nostris ac
iuribus antiquissimis^{*)} couenientissimum est, in eo sem-
per foro res agendas esse, cui quisque subsit. Quod si di-
cas forte, ut confestim praespicio futurum, ad actiones
maxime pertinere, neque ad reos adeo, aut caussas ex-
traiudiciales, quas vocant, pertrahi posse, hoc facile ad-
modum euertetur. Praeterquam enim, quod illud omne
de iure Germanico non omnino amplectendum est, atque
ex Speculis potissimum priscisque iurium nostrorum compi-
lationibus in necessaria adeo illa fori prorogatione ex caussa
reconventionis difficultatibus hautquaquam^{**)} caret, al-
tero quam maxime loco tenendum est, quod iurisconsulti
summi iam semel atque iterum in ejusmodi caussis monue-
runt, nefas esse renunciare fauori suo, si cum caussa alio-
rum coniunctus est. Atqui vero *porro*, quemadmodum
rectissime rescripsit Innocentius III. non singulorum, sed
totius ordinis est illud fori priuilegium, cui singuli dero-
gare nequeant. Accedunt *ad extremum*, ut paucissimis
verbis me expediam, tandem, quae ab vnitate illa iuris-
ditionis Romanae plerumque in re nostra iudicaria ne-
liguntur, commoda et sportulae iudicum, quibus cur
haec in caussa P. V. F. D. O. R. I. V. S., aequissimi alias vir-
ani-

^{*)} v. CÆSIT. lib. VII. c. 220. et ^{**) v. HEINECCIVS in Elem. iur.}
 c. 332. ap. GEORGISCHEM. lib. 3. c. 1. Germ. III. 87.

animi, *) nihil dederit, vix intelligo. Evidem dexter planè ac semper pròcul a me esse iussi sportulariam illam prauitatem, quae multis iudicium nostrorum et aduocatorum notas et stigma inurat, sed alendi tamen sunt iudices plerumque nostri ac nutriendi eiusmodi redditibus, ilisque fruuntur instar salarii, quo quemadmodum fraudari nequeunt, ita mihi vicissim, qui tandem illis commodis emungi possint per aequitatem, perspicere haut licet ac vacat. Atque secundum haec quidem Consistorium ecclesiasticum Vitebergense recenti aetate semel atque iterum, ac nuper admodum in caussis clericorum tam judicialibus, quam extrajudicialibus censuit. Arbitror enim non alienum a consilio fore, admonere humaniter iudices laicos, vel seculares, ne quid sibi cum inuasione quadam et iniuria consistoriorum potestatis in clericos vel rogati in caussis personalibus sumant, sed quemadmodum illa haec quidem tempestate intra fines quaeque suos se recipiunt, sic contra se gerant, ac recordentur perpetuo eorum, quae Decis. viii An. c*1515 CC XLVI.* constituta sunt. Nobis quidem, quidquid etiam idem ille magnus PUFENDOR
FIVS**) contrariam in partem contendit, illa fori prorogatio non conuenit, sed permanendum potius est in legibus moribusque nostris. Patronis maxime ecclesiarum, eorumque iuridicis, qui obliuionem quasi quamdam constitutionum nostrarum cummaxime, sed plerumque cum detimento

rei

*) De Iurisdict. Germ. I, 4, 99. p. 112.

**) To. II. Obff. p. 398 l*q.*



rei suae simulare ac prae se ferre videntur, id commendatissimum esse velim, ne forte in hereditates, vasa opesque clericorum et ecclesiarum, aut tutelas liberorum temere inuidant, aut priuatim adeo, quod nuper admodum memini admitti, de his rebus statuant, sed recordentur serio semper Edicti a. d. xxx Sept. An. CIOIOCCXXXIX. generatim propositi,^{*)} quod plerumque et velut de consilio ignorari videtur, omninoque ad normam legis tutelaris nostrae C. II. §. 5. omnia persequantur. Quod ni fecerint, insequitur necessario vindicta, si vel maxime, quod semel iterumque fieri memini, defunctum foro suo renunciasset obiiciatur. Nam quod ipsis legibus imperii, nec dum correctis, imo vero comprobatis iis ac laudatis,^{**)} continetur, interuenire cuilibet licere adpellationibus ac prorogationibus iudicij in fraudem iurisdictionis territorialis interpositis, hoc quidem quam certissime etiam in hac caussa valet, licetque adeo optima ex caussa iudicibus ecclesiasticis eiusmodi institutis intercedere, adeo ut ex taciturnitate eorum demum^{***)} res sit rata, vimque suam et robur accipiat. Quibus quidem omnibus **BOEHMERO**^{****)} abunde satissimum arbitror, ne quid ex **TRAVG. THOMASIO** in rem mean conferam.

ANIM-

^{*)} In Corp. Iur. ecclesiast. Saxon. Cumque ap. SELCHOVIVM To. III. p. 481. p. 294 sq.

<sup>**) R. D. An. CIOIOCC. §. 118. et ^{***)} WERNHER T. III. P. 2. obs. 339.
C. O. C. P. III. tit. 38. §. 11. Neuif. ^{****)} in I. E. P. II. 2, 39 sq.</sup>

ANIMADVERSIO III.

*In reprobando uti hanc licet iurisurandi delatione super capite
per interrogatoria proposito.*

Rectissime iam admonuit suo tempore BERGERVS^{*)} olim noster, adeo inter se pugnare probationem per iuriurandum aliasue cauissas, vt ne per obliquum quidem reus, proposita ad testes in interrogatoriis exceptio-
ne, super eadem dein in reprobando iuriurandum aduer-
sario deferre queat. Sed nescio fere, qui fiat, vt saepe-
numero hoc in foro tentetur, atque adfessores adeo dic-
asteriorum nonnumquam in diuortium quasi quoddam sen-
tentiarum pertrahere videatur. Res enim, quemadmo-
dum ego quidem existimo, paulloque post pluribus mon-
strabo, per se est plane et facilis. At turbarunt caussam
primi fere Scabini veteres Lipsienses, qui cum initio re-
cete negassent tale quid licere, repente dein, quemadmo-
dum ex RIVINO^{**)} intelligitur, sub exitu proximi se-
culi mutata sententia iure id fieri posse contenderunt.
Quod cupide amplexus WERNHERVS,^{***)} qui luben-
ter admodum a sententiis BERGERI discedere solebat,
in forum porro propagauit, iisdemque plane verbis, prae-
terita illius auctoritate, pro ea, qua videbatur, ad iuri-
urandum admittendum et decernendum ingenii facilitate

et

^{*)} In Oecon. iur. IV, 25, 5, 13, p. 835. Ed. rec.

^{**) In Enunc. ad tit. XXI, 43.}

^{***)} To. III. P. 3. obf. 57.

D



et velocitate, HOMMELIVS*) denuo ad vendendum produxit. Enim uero quae demum est cauſa et ratio opinionis? Aiunt igitur vno omnes ore, alios esse articulos, alia interrogatoria, nec posse adeo, quae legibus**) alias secus sint constituta, hanc in cauſam pertrahi. Belle profecto, ne quid durius dicam, ac mirifice! Adeone igitur cauillari et eludere licet leges? Proponuntur enim testibus interrogatoria non potissimum ad probandas exceptiones? In quo si defecerit reus, ego quidem, qui in reprobando tandem ad iurisurandum deuolare possum, ex iure in primis nostrō hautquaquam intelligo, praesertim cum omnibus legibus tam ciuitibus, quam ecclesiasticis patriisque iurisurandi delatio quam arctissime sit circumscripta, adeo ut locis quam plurimis ***) tum demum admittatur, cum idonea satis indicia et signa adferantur, ex quibus ad iurandum quisquam adigi et compelli possit, omninoque iurisurandi delatio ex ipsa iuris canonici auctoritate****) in subsidiariis probandi remedii ponenda sit, quae adhibitis reliquis locum nequaquam habent. Atque secundum haec quidem Iurisconsulti Vitebergenses strenue infistentes praescripto O. P. V. recenti aetate semel iterumque a iurisurandi delatione in reprobando repulerunt, qui per interrogatoria testes super exceptiones

*) In Rhaps. obf. 404. p. 560.

****) v. e. g. locum egregium, O. R. D.

**) In primis O. P. S. tit. XVIII.

PROC. ONOLD. P. II. tit. 6, §. 11.

§. 3.

****) c. 2. X. de prob.

ceptionibus explorauerant. Neque enim verbâ captanda, sed consilia legis inspicienda esse putarunt.

ANIMADVERSIO IV.


*De excessibus in templis, coemeteriis aedibusque ecclesiasticis
commisis adhuc nonnullis.*

Etsi hac de re ex instituto quondam praefide RIVINO disputauit ill. REINHARDVS, collega nuper coniunctissimus, iuuat tamen quaedam hanc in caussam adscribere, si reuocem forte iudicibus aduocatisque nostris in memoriam, quae inter nos super hac quaestione acta sunt, abstrahamque eos ab opinione HOMMELII *) quem ceteruatim cum damno rei suae sequuntur. Primum igitur negari non potest, ART. GEN. XVII. §. 5. DECRETOQUE SYNOD. REV. §. 13; iudicibus civilibus datum hoc videri, vt, quae in templis coemeteriisque nefarie aut petulanter admittantur, ea vindicent et vlciscantur. Sed inde ab An. C I O C L X I . potissimum res paullatim mutata est ob varia incommoda exinde orientia quam plurimis rescriptis, quibus cur stare vereatur HOMMELIVS, neutrquam perspicio. Quod si enim ratio, quam in primis reddit opinionis, valet, neimpe ad dicasteria illa non peruenisse, nobis, qui ex dicasteriis de iure respondeamus sententiasque ferimus, etiam dubitandum est ac

D 3

sub-

*) In Rhaps. obs. 446, p. 706.



subdubitandum, inhaerere in decidendo iis, quae de portoriis, vestigalibus, accisis, aliisque eiusmodi rebus vniuersitate rescribi quotidie solent, nec ad nos perueniunt. Quod quidem deinde ait, veterem illam regulam per **R E S O L V T I O N E M G R A V A M I N V M** An. C I C I O C L X I . *) haut esse mutatam, id ego quidem nolim contendere. In rescripto enim illo, quod An. C I C I O C C L V . cum Senatus Interboccensis tale quid sibi sumisset, dirimendae litis causa, cognitis ponderatisque omnibus quam adcuratissime, per modum generalis praecepti ad Consistorium nostrum peruenit, **) planis verbis ad illam **R E S O L V T I O N E M G R A V A M .** prouocatur. Atqui auctores rescripti, qui super compositione diurnae controuersiae cum aliis consilia contulerunt, haut dubie, quae sint caussae et rationes **R E S O L V T I O N I S** illius, intellexerunt optime et calluerunt. Itaque omnis turbatio sacrorum, quae sit in templis et coemeteriis, pertinet ad consistoria, caueantque, velim, sibi magnopere iudices, ne his rebus manum iniiciant. Equidem, vtut etiam frontes nonnumquam corrugari bene noui, tamen semper ante oculos habeo Rescriptum, quo An. C I C I O C C X X I I I . bonus WERNHERVS noster, magnus ille ac venerandus mihi in munere antecessor, per eiusmodi aliquam occasionem beatus fuit. Deciderat nempe ad rogationem praefecti cuiusdam inter alias causas denun-

*) tit. von Consistorial Sach. §. 4. HARDVM de excess. et deliq. in templi.

**) Exstat ex parte ap. ill. REIN- commiss. §. 15.

ciatorias de eiusmodi excessu. En! vero, cauffa Dresdam perlata, rescriptum: *Es ist unser Begehren, ihr, der Hof und Justitien Rath, auch Ordinarius Dr. Wernher, wollet künftig bey Abfassung derer Rügen Decisorum des Consistorii zu Wittenberg Iura, wie euch, als dessen Assessori, ohnedem zufehet, besser, als jetzt in dem Deciso wider mehr gedachten N. wahrzunehmen geweseu, beobachten.* Ceterum si in aedibus ecclesiasticis delinquitur contra personam ecclesiasticam a laico quodam, v. c. iniuriis, cuiuscumque sint generis, redit res ad iudicem secularem. Ita enim, postquam diu multumque ea de re disputatum fuerat, An. CICIOCLXXXII constitutum fuit: *Eines Laici Vergehungen gegen einen Clericum, sie mögen in des letztern oder einem fremden Hause vorgefallen seyn, gehören für die weltliche Obrigkeit.* At videant, quod consulto admoneo, iudices adcurate, ne per hanc rationem temere in aedes ecclesiasticas inuolent, et quod nonnumquam fieri noui, spolia aut vim adeo committant. Aere enim hoc alijsue non sat incundis modis luitur.

VIRO

VIRO HVMANIS
CAROLO GOTLOB BROTZE
CAR. HENR. GEISLER.

Prodi ergo mecum in cathedram, resque **Tus**, quod arbitror confidoque futurum, age gnauiter et strenue. Probe quidem, honeste ac sine opprobrio et laboretoto hoc tempore **Tuo** inter nos versatus es, misericorde literis tractandoque iuri nostro operam dedisti. Ab eo etiam tempore, quo vtrum me adiisti, atque ut **Te**, qui mihi antea cognitus non eras, inter eos, quos interrogando, disputando, referendo scribendoque in disciplina legitima priuatissimis scholis exercere soleo, reciperem, cum dissidentia quadam virium **Tuarvm** petiisti, cum voluptate statim intellexi, esse in **Te** alacritatem aliquam ingenii, nec spernendas artis copias. Quo testimonio quemadmodum **Te** per fidem ac religionem mactandum mihi esse censeo, ita **Tv** vicissim, Vir Humanissime, ale ac nutri illas virtutes, iisque in commoda publica bene vtere, in primisque modestiae ac verecundiae, quae rara nunc dos adolescentum esse solet, refinens semper efflo. Qued si feceris, breui **Te** dignoscent **SCHOENBERGII**, **IANI** ac **MEISNERI**, aliique magni, probi et cordati viri, quibus patria **Tva** abundat et gloriatur, atque ex merito ornabunt. Evidem laetabor semper ex felicitate **Tva**, atque ut, quod facis, porro me ames, cupio. Scr. in Acad. Vitebergica a. d. xxix Maii An. **CICDCCCLXXXVII**

Wittenberg, Diss., 1786-88


ULB Halle
004 335 899


3



f

sl,





ANIMADVERSIONVM
EX IVRE VNIVERSO DEPROMTARVM

SPICILEGIUM PRIMVM

1787

69

6

AVCTORITATE

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

CAROLO HENRICO GEISLERO

ORDINARIO

A. D. XXX MAII AN. CCCCCCLXXXVII

DISCEPTANDI CAVSSA PROPONET

CAROLVS GOTLOB BROTZ

BVDISSENSIS

VITEBERGAE

EX OFFICINA DVERRIA.

